

stantium perceperamus, quoties vel hujus vel alius vitrei recipientis & exhausti quidem epistomio quadrangularem lagenam applicuiffemus & reductâ claviculâ in frustra disjectam subito vidiffemus.

VIII. Quemadmodum autem ipsius fracturæ causa jam erat penitus indubia & hoc ipso plenius confirmata, quod ex ejus suppositione prædictus effectus ipsa re quoque effectus consequutus, aëris nimirum intra lagenam conclusi elater validissimus, qui vitri parietes undiquaque extrorsum urgens magnâ vi, quamdiu extrinsecus ambiens aër in recipiente contrario nisu eosdem parietes introrsum comprimebat, vim suam exferere efficaciter non poterat; posteaquam verò per fractûs antliæ plusculos aër recipientis lagenam extus ambiens ita esset debilitatus, ut hujus resistentia unâ cum resistentia vitri ipsius minor esset illius expansioni, necessariò illam vincebat, vitri partes ab invicem separando: Ita crepitûs debilioris ratio non una statim erat obvia. Primò enim sonitus, etsi in se satis magnus fuisset, per illam recipientis cuprei spissitudinem non nisi multùm imminutus ad aures circumstantium poterat pertingere: Secundò, cùm aër sit ordinarium soni vehiculum, hoc intra recipiens aliquatenus exhaustum jam debilitato, tam commodè, ut aliàs solet, impressio illa ad auditûs organum provehi non poterat amplius: Tertiò verò, ac præcipuè quidem, hoc attendendum fuerit, quod ipse fracturæ impetus & hunc consequens fragor non potuerit in se esse validus. Quia enim sibi mutuò obstiterant aër lagenæ inclusus ex una, & ambiens in recipiente unâ cum vitri ipsius soliditate ex alterâ parte; hujus alterius partis vires autem sensim decrefcebant, illæque adeò alteræ sensim superabant, factum est tandem necessariò, ut hæc exsuperantia partium nexum in vitro quidem dissolveret, non parum tamen etiamnum contra-nitente externo, qui restabat, aëre. Ex quo factum est ut emotio partium vitri sine impetu magno ideoque & sine fragore magno, contigerit: contra ac in casu illo

Causa 6.
Phæn.

Causa 7.
Phæn.